

setur. Prius probabilius tenendum videtur cum S. Alph. (l. 4. n. 146); sed posterius multis preeplacet (cfr. Bus. ap. S. Alph. l. c.) et certe probabile est.

In assertorio, defectus justitiae non oritur ex eo quod illius objectum illicitum est, sed ex eo quod actus asserendi rem aliquam est illicitus. Jamvero regulariter talis defectus, quatenus adversatur religioni, est venialis, quia tunc Deus in testem adhibetur tantum ut alii certiores fiant de re quae vera sit (ut supponitur), sed cum peccato dicatur: quae injuria per se non est gravis. Attamen grave peccatum fieret si juramentum assumeretur tamquam instrumentum gravis peccati efficacius promovendi, puta ad firmandam gravem detractionem: nam maguam irreverentiam committit qui nomen Dei assumit ad gravem injuriam proximo faciendam. Sed probabilius leve tantum peccatum contra religionem ficeret qui juramento firmaret detractionem levem vel narrationem qua se de peccato commisso jactavit. (S. Alph. n. 146; Lehmk. I. n. 412)

§ 3. DE OBLIGATIONE ET RELAXATIONE JURAMENTI PROMISSORII.

304. I. In juramento promissorio affirmatur primario *praesens intentio* exsequendi id quod jurans se facturum esse testatur. (n. 299, III) Hinc peccat graviter qui non habet animum rem exsequendi, sive parva sit, sive magna, vel qui dubitat utrum facturus sit necne quod jurat, vel qui putat rem illam esse sibi moraliter impossibilem ita ut nullam probabilem rationem illius exsequendae cernat. (S. Alph. n. 172)

II. Illicitum est *ficte* jurare, i. e. sine animo jurandi vel sine animo se obligandi ex virtute religionis, ut patet e prop. 25^a ab Innoc. XI damnata: "Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levus, sive sit gravis. „ Hoc autem peccatum grave constituet si ficte jurans non habet animum implendi id quod exterius promittit, vel si agitur de iis adjunctis in quibus aliquis, ob grave praeceptum Superioris vel contractum magni momenti, juramentum emittere tenetur, ut contingit praesertim in re judiciali: siquidem hic videtur gravis abusus nominis Dei et notabilis enervatio juramenti, cum hac ratione jam nemini constare possit utrum is a quo juramentum in confirmationem veritatis magni momenti postulat, reaperte Deum in testimonium inducat necne. Insuper, quando abest animus implendi id quod ficte promittitur, exterior ille latiae cultus ad quem pertinet juramentum, exhibetur rei falsae, quatenus haec testimonio Dei comprobatur, quod similitudinem habet cum idolatria materiali. Ubi vero haberetur animus implendi rem

quae sub juramento promittitur, neque supra dicta adjuncta adessent, communiter censem DD. peccatum tantum leve fieri. (Sanch. Dec. l. 3. c. 6. n. 8 seqq.; S. Alph. n. 172)

Idem quoque applicari potest juramento assertorio quod fichte tantum emittatur.

Patet in his casibus juramentum, defectu intentionis, nullum esse (n. 300) ideoque nullam inducere obligationem ex religione. Quandoque tamen posset dari obligatio servandi indemnum eum qui per fictum contractum et juramentum laesus fuisset. (n. 585)

305. III. Praeter illam praesentem intentionem, in omni juramento promissorio, etiam non comitante contractum, assumitur secundario *obligatio implendi suo tempore* id quod quis se exsecuturum esse declarat: patet e natura talis juramenti.

Certe igitur peccat qui, nulla justa ratione excusatus, omittit implere quod promisit. Sed in hoc defectu fidelitatis, alii vident semper grave peccatum, alii rectius grave vel leve, pro quantitate promissionis quae neglegitur. Ratio hujus benignioris sententiae, quam S. Alph. (n. 173) non minus probabilem et forte probabiliorem appellat, haec est: omissionem promissionis sincera intentione elicite non esse mendacium, sed infidelitatem; eum ergo qui non impleat quod sincera intentione juraverit, non facere Deum testem mendacii, sed tantum infideliter agere in re promissa sub divina auctoritate. Unde, sicut in violatione voti, ita et in omissione obligationis ortae e juramento promissorio datur materiae parvitas. (Suar. de Rel. tr. 5. l. 3. c. 16)

IV. Nulla obligatio oritur e juramento quo quis promittit rem etiam leviter malam, puta donationem prodigam: quia nemo se obligare potest ad rem quam aliunde vitare debet. Quod S. Alph. (n. 176) extendit ad res quae prohibantur lege etiam mere poenali, puta civili. Idem dicendum si quis jurat rem vanam, inutilem aut indifferentem, quae neque ex fine, neque ex circumstantiis honestatur: quia Deus supponi nequit nos obligare velle ad inutilia, cum lex cuius impletio ad nihil conductit, sit, propter periculum transgressionis, vere noxia. Tandem idem valet, propter similem rationem, si quid jurasti contra consilia evangelica, ut non ingredi religionem, non dare eleemosynam, etc. Attamen juramentum in favorem tertii factum, etiamsi impedit consilia evangelica, implendum est quotiescumque impleri potest sine peccato: unde clericus qui juravit se servitum esse alicui ecclesiae, nequit religionem ingredi, absque juramenti relaxatione. (S. Alph. n. 177) Hoc autem restringendum videatur ad casum quo tertius ille, per promissionem acceptatam, jus aliquod acquisiverit. (Ball. P. n. 85) Secus enim non

apparet quare bono per juramentum promisso nequeat substitui bonum magus, ut dicetur de obligatione voti, quae magnam habet cum obligatione juramenti similitudinem. (n. 330)

306. V. Juramentum promissorium eamdem habet condicionem eodemque modo explicandum est ac promissio vel propositum cui est adnexum. Ratio est, quia accessorium sequitur principale, ideoque, quando non obligat promissio, nec obligat juramentum appositum. (S. Alph. n. 180) Hinc, qui juravit se servaturum esse decreta et regulas vel statuta alicujus congregationis, universitatis vel capituli, non obligatur ad ea servanda nisi ea ratione qua eadem obligant ex seipsis. Igitur, si statuta servanda sunt sub peccato gravi vel levi, transgressor insuper grave vel leve peccatum contra religionem committet; si ad poenam tantum obligant, per se nullum peccatum ea transgrediendo patrabit. Insuper idem non tenetur propter juramentum ad servanda statuta quae jam vigere desierunt, vel propter impossibilitatem, vel eo quod jam a majori parte communitatis non servantur: quod valet etiamsi de aliquo particulari statuto juramentum ederetur. (S. Alph. n. 181)

Hinc juramentum servandi alicujus secreti, hujus condicionem sequitur, ita ut jam non obliget quando ipsius secreti obligatio desinit. (n. 431 seqq.) Si autem revelatur secretum juratum, ex. gr. quod praestatur in quibusdam coetibus circa electiones et similia, grave vel leve peccatum committitur prout ex illa revelatione grave vel leve nocumentum sequi potest. (S. Alph. n. 183)

307. VI. Obligatio juramenti cessare potest ab intrinseco, puta ob mutata adjuncta, ob causam finalem cessantem etc., vel ab extrinseco, puta per dispensationem, irritationem, commutationem, fere ut infra (n. 324 seqq.) de voto dicetur. Cum res cebrius pro voto quam pro juramento practica sit, sufficiet hic ad eum locum remittere.

Hic tantum notabimus eum qui habet facultatem seu ordinariam, seu etiam delegatam dispensandi in votis, posse etiam dispensare in juramentis sive per se stantibus, sive voto adnexus, dummodo non sit ius quae situm tertio quo iste cedere nolit. Id omnes concedunt de eo qui habet facultatem ordinariam, ut episcopus; de eo vero qui habet tantum delegatam, S. Alph. (n. 190) id utrumque probabiliter controverti asserit. Ipse addit omnino tenendam sententiam negativam, eo quod obligatio juramenti jam contracta, cum sit certa et possideat, auferri non valet per dispensationem tantum probabiliter validam. Sed non desunt praelari AA., ex. gr. Suarez (de Rel. tr. 5. l. 6. c. 14. n. 6), qui asserant affirmativam esse sententiam communem et quae sine dubio possit in praxi observari; deinde, ut et ipse S. Alph. admittit pro absolutione data

cum jurisdictione probabili, Ecclesia suppleret ubi opus esset. (Ball. P. n. 109 seqq.) Ratio hujus communis sententiae est: votum et juramentum soli Deo factum, propter affinitatem obligationis ex utroque oriundae, aequiperari in Jure Canonico sicut in Romano aequiperabantur.

§ 4. DE ADJURATIONE.

308. Adjuratio, prout hic consideratur, est assumptio nominis Dei vel Sanctorum ad confirmandum aliquod mandatum inferiori intimatum vel deprecationem ad parem vel inferiorum directam. Hinc patet magna similitudo quae inter adjurationem et juramentum intercedit: quam ob causam hoc loco de illa agere solent Theol. Morales cum S. Thoma. (2. 2. q. 90) Ex ipsa definitione liquet duplēcē esse adjurationis speciem: *imperativam* nempe et *deprecativam*, prout fit per modum mandati vel merae sollicitationis ad aliquid faciendum vel omittendum. Clarum est priorem speciem licet adhiberi non posse nisi cum subditis. Solet quoque distingui adjuratio in *sollemnem* et *privatam*, ita ut sollemnis ea tantum sit quae fiat ab Ecclesiae ministro, secundum ritum ab ea statutum, privata reliquias omnes comprehendat.

Adjuratio privata per se est licita omnibus, servatis iisdem condicionibus quas requirit juramentum, scil. (S. Alph. App. de Adjur. II) requiritur:

1º *Veritas*, qua excluditur fictio ex parte tum rei petitae, tum causae ob quam petitur. Haec fictio adesset si quid, interposito Dei nomine, peteretur absque vero animo id impetrandi vel allegato motivo falso, ex. gr. paupertatis. Hujus condicionis defectus venialis est. Omittimus (quod practicum non est) adjurationem quae serio fieret per falsi numinis invocationem. (Sanch. Dec. l. 2. c. 42. n. 5)

2º *Justitia*, qua excluditur petitio rei graviter vel leviter malae. Prior petitio certe mortal is est, de posteriore disputatur. (n. 303)

3º *Judicium*, seu debita discretio. Hujus defectus certe non est nisi venialis. Ex ipsa rerum natura patet solas creaturas rationales directe adjurari posse; ratione carentes, tantum indirecte, adjurationem referendo sive ad Deum per modum deprecationis, sive ad daemonem, per modum compulsionis, ut casset iis uti in nocumentum nostrum. Hoc igitur modo explicandae sunt adjurations quae quandoque leguntur prolatae in nubes, locustas, etc. Nam, si referrentur ad ipsam irrationalē creaturam secundum se, essent actiones vanae. (S. Th. l. c. a. 3)

309. Praecipua difficultas versatur circa adjurationem sollemnem daemonum quae **exorcismi** nomen accepit. Hujus formula in Rit. Rom.

(Tit. X. c. 1. De exorcizandis obsessis a daemonio) continetur atque, ut e toto ejus tenore liquet, unice refertur ad expellendos daemones e personis quas obsederint : unde nonnisi improprie exorcismi vocantur orationes et pii ritus qui quandoque adhibentur contra daemonem ut ccesset nocere hominibus vel pecoribus in quodam loco (1). Qua ratione et prudentia exorcismi adhibendi sint sapienter in Ritoali describitur. Hic breviter quaedam tantum attingemus praesertim de illius formulae usu. Nempe :

1º Nulla exstat lex universalis quae prohibeat sacerdotes quominus exorcismos, juxta Ritualis regulas, instituant. Sed certe fas est episcopis decernere ne ullus sacerdos, etiam regularis, id agat, vel publice vel privatim, absque expressa Ordinarii licentia, ut liquet e Const. Bened. XIV *Magno cum animi* § 34. (2 jun. 1751) Talem autem prohibitionem episcopi permulti tulere (Aichner, Comp. Juris. eccl. § 117) : quae, cum res sit magni momenti, sub gravi obligat.

2º Etsi, ob evidencia SS. Evangeliorum testimonia, universe daemoniacas obsessiones seu possessiones meritis illusionibus tribuere non licet, tamen certum est eas minus crebro contingere quam antiquiores AA. aestimabant. Perfectior enim morborum, eorum praesertim qui in nervis sedem habent, cognitio ostendit causis mere naturalibus adscribenda esse multa miranda phaenomena quae perperam daemoni tribuebantur. Sapienter jam Rit. Rom. (l, c.) monebat ne facile crederetur aliquem a daemone obsessum esse, neve morbus naturalis pro possessione haberetur ; enumeratis autem obsessionis signis, ex. gr. ignota lingua loqui pluribus verbis, distantia et occulta patefacere, innuit haec minime esse apodictica, siquidem addit : "Quae, cum plurima concurrunt, majora sunt indicia." Idem quoque inculcant plures Theologi, dum signa possessionis certa vel dubia fuse explicant. Vides Thyraeum : De obsessis a spiritibus daemoniorum hominibus cc. 22 seqq. (2)

3º Si quando casus dubius occurreret, expediret in subsidium adhibere aliquem medicum peritum et probe catholicum, qui non rejiceret ipsius possessionis possibilatem, sed prudenter investigaret num haec quae

(1) Cfr. in Appendice Ritualis Exorcismum in Satanam et Angelos apostolicos, jussu Leonis XIII editum et ab eodem Pontifice indulgentiis ditatum in gratiam Episcoporum et Sacerdotum ab Ordinariis suis legitime ad id auctoritatem habentium, qui illum devote recitaverint.

(2) Rituale Romanum, ut e toto exorcismorum tenore patet, perinde ac veteres Theologi (Thyraeus, op. cit. c. 2) *obsessionem* eodem sensu ac *possessionem* adhibet, nempe ad designandam condicionem hominis qui non tantum a daemone vexetur, sed in quo praeterea daemon sit intime praesens, tamquam motor in mobili. Quidam recentes, ex. gr. Surbled (*La vie psycho-sensible*, c. 7), per obsessos intellegunt eos qui molestias etiam exteriores a daemone patiuntur, quamvis daemon in iis sedem non posuerit, ut contigit S. Antonio.

cernerentur mira phaenomena ab aliquo noto morbo provenirent, praesertim ab hysteria vel daemonomania. Horum morborum singulares effectus vides apud D. von Olfers. (Pastoralmedicin, p. 130 seqq.) Etiam ubi effectus prima fronte supernaturales apparent, ut lingua ignota loqui, occulta detegere, valde cavendum a fraude vel illusione. Cfr. dicta de Hypnotismo n. 273. Verum quidem est ad licite exercendos exorcismos, saltem cum episcopi licentia, sufficere probabilitatem de possessione. Sed quominus cum mera probabilitate procedatur, saepe obstabit tum scandalum quod hodie facilius enasci solet ob impiorum irisiones, tum ipsius exorcizandi salus, cui exorcizatio, praesertim cerebrior, plurimum nocere poterit si reapse morbo tantum naturali laborat.

CAPUT III.

DE VOTO.

§ I. DE VOTI NATURA ET DIVISIONE.

310. DEFINITIO. Votum est promissio deliberate facta Deo de bono possibili et meliori. Videlicet :

1º Ad votum non sufficit nudum propositum voluntatis, sed "tria ex necessitate requiruntur : primo quidem deliberatio ; secundo, propositum voluntatis ; tertio, promissio in qua perficitur ratio voti" (2. 2. q. 88. a. 1) Habetur ergo, quoad ista, paritas cum promissione quae homini fiat ; discrimen autem est quod ad promittendum homini requiruntur exteriora signa, ad promittendum Deo, qui intuetur cor, sufficit interior cogitatio.

Hinc liquet perperam a quibusdam existimari votum a se elicium esse, cum rem aliquam bonam facere proposuerint vel etiam verbum "promitto" usurpaverint. Non sunt enim censendi verum votum eliciuisse nisi intenderint se novo vinculo erga Deum ita obligare ut illud sine speciali peccato frangere jam non possent. (Lehmk. I. n. 429)

2º Votum est actus latriae, eo quod ea quae voventur in divinum cultum ordinantur. Hinc si quando (ut fit) vota dicuntur fieri Sanctis, sensus est ea voveri Deo in honorem simul Sanctorum, sicut templo et altaria aedificamus Deo in eorumdem honorem. (S. Alph. n. 194) Si quis (quod